

quando vitulum aureum ad imitationem Apis Ægyptii erexerunt, ingentemque inter illos stragem edidit, clamante Moysi ex mandato Domini: *Occidat unusquisque fratrem et amicum et proximum suum*: cecideruntque viginti tres millia virorum. Et cur Romam Deus sub Christianis jam imperatore Honorio et Theodosio punivit incendio et gladio per Alaricum, Gothum, et Arianum regem, nisi propter reliquias idololatriæ, quas ditiores toties moniti deserere noluerunt? Testabatur enim Alaricus se stimulari a Deo ad puniendam Romam; certe propter illam causam; et quia non satis acriter punivit, ideo morte subita punitus est, Baron. an. 409.

II. Nonne magna cæcitas est, passionis Domini memoriam, tempus jejunii pœnitentiæ inchoare a stultitia, gula, lascivia, scurrilibus nugamentis? Magdalena a lacrymis, dum alii pranderent, ad pedes Domini fuscis suam inchoavit conversionem: Paulus a triduo jejuniis, quando ductus Damascum, tribus ibi diebus non manducavit neque bibit, Actor. IX. Quo jure ergo Christiani a profana lætitia et triduo ingurgitatione suam inchoant pœnitentiam? S. Basilius, hom. lib. de jejuniis ait: « Non est per temulentiam (bacchanalium scilicet) aditus ad jejunium, quemadmodum nec ad justitiam iter est per fraudationem, etc. Aliud ostium est ad jejunium. Ebrietas ad lasciviam inducit, ad jejunium frugalitas. Athleta ante certamen exercetur, jejunator ad jejunandum temperantia præparatur. Ne velut uloiseus jejunii dies, non veluti fucum facturus legis auctori, in hos quinque dies crapulæ thesaurum reponit. Stulte siquidem facis, si corpus quidem conficis nectamen solatium esuritioni admoves. » Christus passionem suam ab hymno post cenam dicto, et longa concione ad discipulos habita post a mœrore et tristitia incepit: nonne igitur decet ut et nos Christiani, ejus commemorationem a simili ordiamur? Sane quando Christus ad passionem suam ascendens Jerosolymam, prædixit eam discipulis, sicut in hod. evang. legimus: *Ecce ascendimus Jerosolymam, etc.* accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis petens eis primos honores in regno ejus ut Matth. XX. habetur. Sed quid responsi tulerunt? *Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* q. d. ego de passione mea age et ad eam pergo, et vos de honoribus cogitatis? Cogitate potius an meum calicem bibere et mecum pati velit. Quid si dixissent discipuli illi: Domine quia ad passionem et mortem pergis et nos cito deseris, simus prius læti, instituamus convivia, choreas, ludos, jocos antequam ab invicem dividamur, quid respondisset Dominus? Sed nimirum

mundus nihil horum intelligit, et est verbum hoc absconditum ab eo, nec intelligit, quod dicitur; quemadmodum et discipulis ait Lucas in hodierno evangelio.

III. Nonne magna cæcitas est, quæ hoc tempore multos occupat, liberalius per hos dies indulgere genio, et leges Dei violare, eo quod propinquum sit remissionis tempus, quo Deum sibi rursus conciliare et peccata omnia uno confessionis sibilo exsufflare queant? Quæ enim major esse cæcitas potest, quam velle Deum injuriis afficere propterea, quia nota sit tibi clementia ejus, a quo veniam non difficile possis impetrare? Nonne hoc pacto ligas Christum, ne possit manum tibi auxiliarem et medicam porrigere? Nonne hoc ipso te indignum venia reddis cogisque offensum, ut jure suo tecum agat? Sed promissit Deus veniam se daturum pœnitentibus, ais. Stulte, hæc promissio ad eos spectat, qui ex aliqua infirmitate et inscitia canunt. De iis autem, qui in Spiritum sanctum peccant, adeoque ex præsumptione misericordiæ cadunt, nonne audis, quod non remittentur eis peccata, neque in hoc, neque in altero sæculo, id est, rarissime et ægerime? Nonne cæcus fuit Pharaon quando post Hebræos ingressus est alveum maris rubri cum exercitu, sperans sibi muros illos aqueos æque transitum daturus, atque Judæis dederant? Quomodo enim ipse cum suis hoc tam grande et miraculosum beneficium, solis Dei servis concessum, expectare poterat a Deo, cujus capitalis hostis erat? Non stant muri aquei impiis in præsidium, sed in retia, uti feris, ut capiuntur et illaqueentur et cadant retrorsum; nec remissionis tempus promissum est præsumptuosis, sed ira et vindicta talibus debetur.

Fuit apud gentiles auct. Gellio, l. XX. c. V. homo improbus L. Neratius, qui pro delectamento habuit hominum liberorum ora palmis percutere. Et quia lex duodecim tabularum pro alapa numerari multam viginti quinque assium jubebat, servus eum sequebatur, crumenam plenam assibus gestans: et quemcumque depalmaverat, ei numerari statim, ex l. XII. tabul. XXV. asses jussit. Audita hac insolentia prætores legem hanc abolescere et relinqui censuerunt, injuriisque æsimandis pro qualitate personarum et facti, recuperatores dederunt. Eadem nequitia utuntur illi, qui ex præsumptione peccant; quia enim paratum peccatis remedium confessionem norunt: liberrime delinquant, quasi una confessione, vel uno *Miserere* omnia compensaturi. Sed falluntur miseri. Grave nimis est Deum percutere, præsertim ex nequitia: infinitæ dignitatis persona est. Non ergo concedet eis ordinarium

CONCIO IV.

CONVIVIIUM CHRISTI ET DIABOLI.

I. In convivio Christi præcedit oratio. — II. In convivio Christi viget temperantia. — III. In convivio Christi viget modestia et timor Dei. — IV. In convivio Christi pia et honesta collegia fiunt. — V. In convivio Christi non diu sedetur.

THEMA.

Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia. Luc. XVII.

Propheta Isaias inter alia, quæ exprobrat populo Hebræo, habet etiam hoc: *Vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum et ad plangentium, ad calvitium et ad cingulum sacci: et ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum. Comedamus et bibamus, cras enim moriemur.* Videtur in his verbis prævidisse Isaias et notare voluisse Christianorum bacchanalia. Vocat enim Deus hoc tempore Christianos ad fletum, pœnitentiam et jejunium, ad memoriam passionis Christi: sed quid ipsi? Instituunt convivia, agunt bacchanalia: *Comedamus et bibamus.* Quid igitur; conviviane abolenda sunt: sicut diximus de choreis et ludis velitis? Non hoc dico auditores, sed considerandum est duplicia esse convivia; alia Christi, alia diaboli, uti S. Paulus docet, I. Cor. X. *Non potestis mensæ Christi participes esse et mensæ dæmoniorum.* Quemadmodum enim Christus in suo itinere ad passionem, de quo in hod. evang. primo, cum honore et benevolentia exceptus est in Jericho a Zacchæo, imo et aliis civibus, qui Zacchæo tantum hospitem invidebant: deinde Jerosolymis, sed ab impiis cum ignominia, venditus, illusus, flagellatus, consputus, crucifixus: ita sunt convivia quædam honesta et pia, in quibus Christus bene et honorifice habetur: alia sunt impia, in quibus traditur, illuditur, flagellatur, conspuitur, crucifigitur. Hæc vitanda dico, illa vero minime. Qualia vero et illa et ista sint, videamus.

I. Convivium Christi est, ubi sit initium ab oratione et benedictione mense: finis gratiarum actione. Docuit hoc Christus, qui a benedictione, oculos ad cælum levans convivium incepit, et hymno dicto finiit. Idque juxta piam Judæorum consuetudinem, quæ colligitur ex I. Reg. IX. ubi dicitur non comesturus populus, donec veniat Samuel, qui prius benedecat hostiæ. Nunc etiam Judæi, ut ex eorum rituali libro constat, cibum et potum benedicunt; imo quoties aliquis novus cibus aut potus in mensam affertur toties benedictio iteratur dicendo: *Benedictus sis Dominus Deus noster creator, qui bonus es et benefacis omni-*

pœnitentiæ remedium, se retrahet manum suam ut timendum.

IV. Nonne ingens cæcitas est ludere, ridere, joculari, pergræcari, convivari, stultescere imminente clade hostili? Sane L. Fulvium Argentarium senatus Rom. quod secundo bello Punico a fenestris per meridiem in forum roseo serlo (quod lætitiæ signum erat) coronatus spectasset, carceri per omne tempus ejus belli damnavit, ut intpestivum gaudium, quo laborante patria usus erat, carceris molestia corrigeretur, teste Plin. l. XXI. cap. III. Magna enim fuit cæcitas et temeritas Balthazaris regis Babylonis, qui dum Cyrus Persarum rex urbem obsidet et Euphraten in minimos alveos dividit, ipse domi suæ convivium celebrat cum suis optimatibus bibens in poculis aureis et argenteis, e templo Jerosolymitano ablatis: neque desistit etiam, postquam vidit in pariete scripturam minitantem sibi exterminium, quod eadem nocte illum oppressit. Id quod prævidisse Isaias arguit et ridet eum, c. XXI. *Pone mensam, contemplare in speculo edentes et bibentes.* Sed mox adventum atque ingressum hostium ei denuntians subdit: *Surgite principes, arripite clypeum, q. d. parare potius vos et concurrere ad arma, quam ad convivia debebatis.* Jam vero et nos quoque hostibus circumdamur, partim visibilibus, qui hoc tempore insaniunt, et scelerum suorum socios, undique ad se trahunt: partim invisibilibus, qui et ipsi his diebus circumeunt tamquam leones quærentes, quem devorent. Syri illi latrones ad preces Elisæi percussis cæcitate deducti sunt in medium terræ hostilis et forum urbis Samariæ. Tum orante Elisæo: *Domine aperi oculos istorum;* vident se in civitate hostili undique conclusos, proinde in præsentis vitæ discrimine, non sine ingenti metu constitutos, IV. Reg. VI. Cæci sunt bacchanalistæ; sed quod pessimum est, nesciunt se cæcos esse; tanto igitur magis deplorandi, quia in medio hostium tartareorum, qui eos variis laqueis constrictos tenent ac circumducunt de peccatis in peccata. Quoniam igitur ipsi non vident cæcitatem suam, ideoque nec orant pro seipsis; ut illuminentur, imo nolunt illuminari, Ecclesia autem videt; hinc pro ipsis clamat cum Elisæo: *Domine aperi oculos istorum.* Domine ut videant unde veniant, et quam christiano nomini indecorum sit, gentiliū stultitias imitari: ut videant, quo eant; ad passionem Christi scilicet rememorandam: ut videant, quid agant, peccando in præsumptionem misericordiæ divinæ: ut videant, ubi sint, in hostium videlicet insidiis; ut sic tandem cum hodierno cæco oculos aperiant, et relictis mundi vanitatibus et cæcitatibus sequantur Christum et glorificent Deum.

bus, qui creasti hoc sapidum vinum, hæc aromata, hos fructus, etc. Idem antiqui Christiani omnes observabant, teste Tertull. in apolog. cap. XXXIX. Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur: et mox: *Æque oratio convivium dirimit.* Quinimo et gentiles multi facere id consueverunt primum vini poculum diis suis libando, teste Macrob. I. III. c. III. Unde illud Hesiodi carmen: *Ne comede ex illa, quæ non benedicta patella est.* Idque nunc etiam Turcæ faciunt. A jure quidem: unde enim nobis cibus et potus, nisi a Deo? Cogitare ergo debemus, hoc esse nostrum manna; quod de cælo nobis depluit Deus. Et si pauperi aliquid de mensa nostra mittamus, nonne indigne ferremus. Et cur idem nos agemus Deo, qui mensam nobis parat?

At vero convivium diaboli est, ubi sine oratione convivæ mensam invadunt et in cibos involant, quo modo cohors militiam in Christum sibi a Juda traditum. Quemadmodum enim illi irruerunt in Salvatorem sine omni timore et reverentia, imo maxima cum irreverentia: alius in manus, alius in togam, alius in capillos, alius in barbam impiis manibus involavit; sicque mansuetissimum agnum veluti lupi rapuerunt, in cruce postea deseruerunt, nec ullam cogitationem de ejus sepultura susceperunt: ita aliqui Christiani in conviviis diaboli irruunt, in mensam involant, in patinas et cibos diripiunt; post mensam vero sine omni gratiarum actione surgunt ad ludendum vel saltandum: sicut improbi illi Hebræi, Exod. XXXII. de quibus dicitur: *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* Quos quidem S. Chrysost. hom. VIII. in Matth. porcis comparat, qui nunquam attollunt oculos ad eum, qui glandes iis decutit ab arboribus, nec in fine gratias agunt. *Quasi porci, inquit, cum jam comederint eversa calcibus mensa temulenti consurgunt, cum agere gratias debeant.* Hanc Christianorum impietatem, si viderent gentiles, Turcæ hæretici, Judæi, nonne deriderent nos et una Christum Dominum nostrum, qui tales habeat Christianos, Judæis, et gentilibus deteriores; sic nimirum traditur Christus gentilibus illudendus etiam a Christianis.

II. Convivium Christi est ubi viget temperantia. Neque enim delicata valde et lauta quæruntur (panes solum et pisces semper Christus apposuit: turbæ in deserto bis: ad mare Tiberiadis discipulis semel) neque immoderate editur aut bibitur (semper enim reliquæ supererant, non omnia absumpta fuerunt) et surgunt omnes sobrii. Viguit hæc parcimonia in patribus veteris legis. Abraham nonnisi vitulo, lacte et butyro tres angelos exceperit, Genes. XVIII. Samuel Sauli

denuntiatio jam a se regi, nonnisi armum de vitulo apposuit, I. Reg. IX. David lautissimum populo convivium apparavit ex torta panis, parte assæ carnis bubulæ, et frixa oleo similia, I. Par. XVI. Sic etiam de primis Christianis Tertull. loco cit. *Editur quantum esurientes cupiunt: bibitur quantum pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum sibi Deum esse.* Quin et gentiles plurimi in conviviis parci admodum erant. In convivio Assueri lex erat, ut ne quis alterum ad bibendum cogeret. Augustus cœnam ternis ferculis tantum, aut cum abundantissime, senis præbebat, Sueton. in vita. Didius imp. sæpe solis oleribus absque carnibus cœnabat, teste Aelio Spartiano, in vita ejus. Ad extremum imperari cœptum apud illos, ut nonnisi patentibus januis vescerentur, ne suis occulta tenebris ingluvies depudesceret, sed potius spectantium oculis frænaretur. Et vero meritissimo utendum parce est concessis a Deo donis, tum modestiæ causa, tum charitatis ut aliis fratribus nostris cætera relinquamus.

At vero convivium dæmonis est, ubi exulat temperantia, nec solum lautissima et exquisitissima quæque maximis sumptibus parantur, sed modus etiam in edendo et bibendo exceditur.

Ita Christus ibi illuditur. Qua ratione! Quia quemadmodum Judæi Christo illuserunt faciem ejus velando et alapis verberando ac dicendo: *Prophetiza quis te percussit.* Et quomodo Herodes induendo eum veste alba, velut insanum derisit: ita isti Dei imaginem in seipsis obnubunt per ebrietatem, ut jam nihil prorsus videant; adeoque velata et sopita ratione etiam Christum in seipsis; sic illudunt et colaphizant, dum modo in furorem et iracundiam, modo in impudicitiam, modo in clamores, modo in stultos ploratus aliasque insanias concitantur. Induunt sibi vestem albam seu stultitiam, et velut stulti ab omnibus etiam pueris rideantur et explodantur, neque agnoscantur amplius, sibi prorsus dissimiles. Rursum Christum colaphizant, dum alter alterum ad immodicos haustus provocat: quod majus malum esse, quam si gladio quem vulnerarent, testatur, S. August. serm. CCXXXI. de tempore.

III. Convivium Christi est, ubi modestia et timor Dei viget. Quando Christus redivivus ad mare Tiberiadis invitavit discipulos suos post piscationem ad prandium: *Nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? Scientes quia Dominus est,* Jo. XXI. Quare non audebant? Propter reverentiam et majestatem Christi præsentis, quæ vetabat eos etiam vel otiosum verbum proferre, et interrogare id, quo jam scie-

bant. Bone Deus, si nec otiosum verbum proferre ausi sunt in mensa, quomodo turpe vel impudicum? Idem videre erat apud pios olim Hebræos. In nuptiis Tobie junioris cum timore Domini nuptiarum convivium celebrabant, Tob. IX. Audi super hoc Chrysost. homil. LVI. in Genes. *Num in his nuptiis Tobie aut cymbala aut choreæ diabolicæ? Eadem modestia viguit olim inter Christianos, ut ex Concilio Laodiceno, habito anno 364. cap. LIII. patet, ubi sancitur, ut Christiani in nuptiis imprimis absque choreis caste cœnent vel prandleant, sicut decet Christianos.* Adhuc hodie rusici dum ad mensam assident, aperto capite comedunt. Sic et olim apud gentiles mensa sacra nabita. Unde illud Taciti: *Inter sacra mensæ!* Quo exaggerat perfidiam Neronis in occisione Britannici. Egyptii argenteam cadaveris imungulam in conviviis circumferebant, ut convivas mortis imagine intra modestiæ limites continerent. Dicebat enim minister: *Cum ederis, biberis, atque oblectatus fueris in hanc figuram respice: similis enim illius eris,* Herodotus, lib. II. De hac eadem Petronius, in satyrico ait: *Potentibus nobis larvam argenteam attulit nobis servus.* Ea conspecta dixerunt: *Heu, heu, nos miseros, quam totus homuncio nil est.* O quoties surgent ethnici et accusabunt Christianos, qui nihil minus quam de morte in conviviis cogitant!

E contra vero convivium diaboli est, ubi nulla nonestas, nulla pudicitia, sed lascivia, risus, choreæ, cantilenæ obscœnæ, tactus impudici, oscula, vomitus, turpitudine: ubi constituuntur sæpe moriones, qui nonnisi spurcitiæ evomant: ubi viri cum suis feminis, juvenes puellis assident promiscue. Ibi flagellatur Christus. Qua ratione? Deum carnem suam vel aliorum Christo in baptismo sacratam, et carni Christi congeneam stimulis libidinis feriunt atque ad turpitudinem provocant, potu, jocis, aspectu, tactu, cantilenis. Qui flagellarunt Christum, sanctissimam ejus carnem denudarunt et pudore suffuderunt: isti vero denudant suam turpitudinem ad Christi contumeliam, Christus flagellatus per os Davidis dixit, Ps. CXXVIII. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Idem fit in his conviviis. Unus incipit velut fabrorum magister aliquam petulantiam, mox alii velut socii sequuntur, et idem ferrum simul tundunt: convivas vino calefactos flectunt in omnes formas, quas desiderant, velut emollitum igne ferrum. Unde etiam fit ut scintillæ provolantes in circumstantes insiliant, quasi ignita quædam tela vel sagittæ vulnerantes eorum animos.

IV. Convivium Christi est, ubi pia vel honesta saltem colloquia fiunt, ut patet ex conviviis quibus Christus aderat; semper enim ea via ser-

mone condivit, sive apud Phariseos, sive in domo Marthæ, sive alibi. Idem olim pii Hebræi faciebant, uti Tob. VII. *Epulati sunt benedicentes Deum.* Similiter primi Christiani: « Ita fabulantur (in mensa) ut qui sciant Dominum audire, » inquit Tertull. loc. sup. cit. Et S. Damasc. I. II. Paral. c. V. « Ut consentaneum est ante epulas Deum universorum benedicere: sic etiam convenit inter pocula laudes ipsi celebrare. Mensa in qua nulla Dei memoria adhibetur, a brutorum stabulo nil differt. » Quin et gentiles in conviviis suorum deorum laudes canebant, ut patet Dan. cap. V. in conviviis Balthasaris: *Bibebant vinum et laudabant deos suos aureos et argenteos, æreos, ferreos, ligneosque et lapideos.* Athenæus etiam, lib. XIV. refert in veterum conviviis deorum laudes decantari solitas fuisse.

At vero convivium diaboli est, ubi fiunt detractiones, derisiones, stultiloquia, scurrilitates. Ita Christus ibi conspuitur, sicut a cohorte, dum spinis coronaretur, sputis oneratus fuit. Qua ratione? Quia sputo detractoriæ linguæ proximorum facies, h. e. fama bona conspurcatur et fœdatur. Et quemadmodum is, qui alterum conspuit suo fœtido sputo, e suo pectore deprompto, alterum fœdat: ita fere detractores suismet sceleribus alios commaculant, illis impingendo quæ ipsimet agunt: *Frequenter spuere et violentius excreare et emungere in convivio vitandum est,* inquit Clem. Alex. lib. II. pædag. cap. VII. quanto magis in aliorum faciem spuere? Samsonem exœcatum convivantes Philisthæi sannis ac ludibriis, forsitan et sputis fœde conspurcarunt: sed magno id eis constitit, siquidem Samson receptis viribus totam domum in eos dejecit, Judic. XVI. Adduntur hic sæpe spinæ coronæ et alia ludibria, quibus configuntur et illuduntur Christi servi, religiosi, clerici, prælati; quorum coronæ cæduntur cava arundine fictarum criminationum.

V. Convivium Christi est, ubi pretiosi temporis habetur respectus, ita scilicet ut non nimis diu convivæ mensæ affixi hæreant, sed refecto corpore surgant et mentem honeste recreent; rursum ut sacris diebus pœnitentiæ addictis a conviviis abstineant.

At vero dæmonis convivium est, ubi temporis pretiosi et sacri nulla habetur ratio, et ita Christus crucifigitur. Primo, quia clavis quibusdam affigitur, dum ipsius fideles mensis affiguntur ad multas horas, adeoque in multam sæpe noctem. Clavi affixorum tres sunt: conversatio jucunda, pocula saniatum, hospitii qui invitavit instantia. His affiguntur, de quo videtur Malac. III. conqueri Deus: *Si affiget homo Deum, quia vos me configitis, a. d. justumne est, ut homo*

Deum affigat et crucifigat? At vos hoc facitis. Vos, inquam, convivæ, qui alios vobiscum detinetis in potationibus et commensationibus nocturnis, donec animas Christi sanguine emptas prorsus enœctis, per ebrietatem et intemperantiam. A meridie usque ad occidentem fere solem supra quinque horas pependit in cruce Christus. Raro, citius nunc disceditur a conviviiis, quin et ultra persistitur, donec vino somnoque convivæ sepeliantur. De his Nahum, c. I. dicitur: *Sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium.* Quis autem nescit, quam tenaciter sibi cohæreant spinæ se invicem complexæ? Quis absque læsione eas divellet? Quis, inquam, nisi ignis? Et hoc est quod sibi subjicit: *Consumuntur sicut stipula ariditate plena*: consumuntur nimirum igne. Hic diremit Hebræos illos, qui obtentis a Deo coturnicum carnibus, intemperanter et diu nimis sese ingurgitabant, ut indicat sacer textus, Num. XI. cum ait: *Adhuc carnes erant in dentibus eorum: et furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis*; igne videlicet, ideo enim locus ille vocatus est *incensio*, ut ibid. dicitur, § III. Sed cur punit illos Deus, cum ipse miseris eis carnes illas? Utique quia nimis diu et intemperanter epulabantur, uti indicantur, Ps. LXXVII. *Manducaverunt et saturati sunt nimis.* Nimis diu, nimis gulose. Ad extremum in luctu Hebræi abstinebant conviviiis, Ezech. XXIV. § XVII. Qua in re fœde impegit quidam episcopus Clusinus, quia in die cinerum convivium sumptuosum suis nobilibus instruxit: repente enim paralysis eum corripuit et vultum ejus fœde distorsit, uti refert B. Petrus Damiani, epist. XVI. lib. V. epist.

Itaque, auditores, non prohibentur nobis convivia, sed convivia tantum diaboli. Præcedat oratio, sequatur gratiarum actio: sit modicus edendi et bibendi: sit honestas et pietas: absint colloquia prava: habeatur ratio temporis et licebit vobis adesse et gaudere simul in conviviiis.

CONCIO V.

REPROBI A SEMITA VIRTUTIS DECLINANTES, VARIIS EX CAUSIS MISERI ET CECI.

I. Quia tales in difficiliorem incidunt viam. — II. Quia in via lutosa et turpi eunt. — III. Quia aliis damnosi. — IV. Quia in dolores et molestias incidunt. — V. Quia facile aberrant, et procul quidem.

THEMA.

Cæcus quidam sedebat secus viam. Luc. XVIII. Ascensurus Christus Dominus Jerosolymam ad passionem suam convocavit duodecim discipulos suos et assumpsit secum; non sane ut pas-

sionis suæ socios haberet, qui torcular crucis calcaturus erat solus, Isa. LXIII. sed ut haberet partim certaminis sui spectatores, partim aliquando imitatores: quo ad extremum haberet etiam regni sui consortes. Ad hujus regni consortium et ascensum multi quidem Christo se adjungere voluit: sed Jerosolymam ad passionem eunt, qui se associare velint, pauci reperiuntur. Via ducens ad cœlestem Jerosolymam et Christi regnum est virtus et observatio mandatorum Dei; quæ semita terenda est omnibus omnino eo contendentibus. Plurimi tamen, atque utinam non plerique, deflectunt ab hac via et abeunt per devia, per viam vetitæ voluptatis, nec abeunt tantum, sed et persistunt atque sedent cum hodierno cæco secus viam, quæ ad cœlum ducit. Quod si unquam alias, hoc præsertim contingit tempore, quo Jericho transeunda: stulta, inquam, et toties anathemate percussa bacchanalia, quorum typus non obscurus est Jericho, luna, inquam, varia et mutabilis quam significat. Quare ut ad virtutis tramitem revocemus Christi exemplo: (is enim cæcum extra viam sedentem jussit ad se adduci) cæcum et aberrantem mundum: videbimus eorum cæcitatem et miseriam, qui virtutis via derelicta ambulant in peccatis.

I. Qui a via regia vel a semita declinant, in difficiliorem et asperiorum incidunt. Semita enim plurimorum pedibus quasi dedolata adeoque complanata est: extra eam lapides, saxa, paludes, foveæ occurrunt, quæ difficiliorem reddunt gressum. Id aperte testantur reprobi illi Sap. V. *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis et ambulavimus vias difficiles.* Tametsi enim via virtutis videtur ipsis esse longe difficilior, id tamen ex eorum ignorantia contingit; quo modo via incognita apprehenditur multo longior, quam si foret cognita: quia hæc scitur esse finita adeoque tanta et non major, illa vero quia nescitur quanta sit, apprehenditur quasi termino careat, uti docet Aristot. problem. II. Quia igitur viam virtutis reprobi experti non sunt, hinc velut nimis difficilem sibi imaginantur, imo insuperabilem; adeo ut libidinosus putet neminem esse castum, avarus neminem liberalem. Hallucinantur igitur et dum virtutis viam asperam quidem initio fugiunt, ineunt longe difficiliorem. Hinc auctor op. imper. ho. XXVIII. in Matt. « Putas, inquit, quod peccatores istius mundi non laborant? Vere enim majores labores et sollicitudines habent, quam servi Dei dicente propheta: *Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt.* » Et paulo post: « Ergo laborant multum et conteruntur in sæculo, sed laborem non sentiunt. Spiritus enim, qui seducit eos, ipse delectat in malo, etc. » Aliam ejus rei

causam esse nimiam eorum cupiditatem asserit S. Greg. I. XX. moral. c. XVI. in id Jer. III. *Inebriavit me absinthio.* Quomodo enim quis inebrietur tam amaro potu? Nimirum *amarum est, quod bibit, inquit, sed quia hoc nimis inhianter sumpsit, ejusdem amaritudinis malum discernere jam præ ipsa ebrietate non sufficit.* Nimirum uti foetidam putridamque aquam summo gustu bibit Artaxerxes, quia vehementissime sitiabat, apud Plut. in ejus vita, ita et peccatores non sentiunt labores suos, cæcitate cupiditatis. Interim hæc eorum cupiditas insatiabilis, qua nunc hoc, nunc illud appetunt, maxime eos affligit, præsertim quando eam explorare nequeunt. Scimus quantum cruciatus fuerit Achab, donec acquireret vineam Naboth, III. Regum XXI. quantum doluerit Aman, quod honorem a Mardocheo, quem appetebat, non acciperet, Esth. III. et V. quam acerbe senserit Mardocheum insperato honore sibi prælatum, cap. VI. quanta molitus sit David, ut tegeter adulterium suum, II. Reg. XI. quam perturbatus fuerit Antiochus cum spe sua exeidit, I. Macch. VI. quid non pertulerit Amnon, adeo ut ægrotarit propter amorem sororis, donec ea potiri posset, II. Reg. XIII. quantum laborarit Absalon, ut regnum patris invaderet, II. Reg. XV. quam confecerit invidia Cainum, adeo ut facies ejus plane conciderit, Gen. IV. Denique, S. August. lib. de patientia: « Intueamur, inquit, charissimi, quanta in laboribus et doloribus homines dura sustineant, pro rebus, quas vitiose diligunt, et quando se his feliciores fieri putant, tanto infelicius concupiscunt. Quanta pro falsis divitiis, quanta pro vanis honoribus, quanta pro ludicris affectionibus periculosissima et molestissima patientissime tolerantur, etc? » Sed cur hæc talia patiuntur inquis? Cur non viam virtutis potius ingrediuntur? Quia nimirum cæci sunt, uti exponit S. Hier. I. II. in c. III. Jer. *Amara sunt, inquit, quæ pro hujus vitæ amore tolerant, et tamen eandem amaritudinem cæcitate cupiditatis quasi insensibilitate ebrii ignorant.*

II. Qui extra semitam eunt, facile in lutum incidunt. Nemo enim nescit mundiorem esse semitam ac nitidiorum, utpote jam tritam ac consolidatam, quam si terra circumjecta. Non secus illi qui vitiorum viam gradiuntur, luto se contaminant, tanto fœdiore, quanto turpiores sunt labes animi, quam corporis. Imprimis enim immergunt se in res terrenas et infimas, quæ non sunt nisi lutum et quidem foetidissimum, uti sunt præcipue aurum et argentum, quæ nil nisi terræ glebæ sunt. « Quid sunt aurum et argentum? inquit S. Bern. ser. IV. de adventu; nonne terra rubra et alba, quam solus hominum error

facit (aut magis reputat) pretiosum, quid sunt gemmæ nisi lapides terræ? Quid byssus, nisi vermium, puta, bombycum fila? Quid uniones, nisi excrementa concharum? » Hinc merito ab Habacuc, c. II. appellantur *densum lutum.* In quam sententiam S. Greg. I. p. pastor. c. XXI. « Per lutum desiderium sordidæ voluptatis exprimitur, sicut psalmista deprecans ait Ps. LXVIII. *Eripe me de luto, ut non inhæream.* Luto quippe inhære est sordidis desideriis concupiscentiæ carnalis inquinari. » Lutum et sordes sunt carnis voluptates, quas sequuntur pecudes, spernere debent homines, utpote villissimas et animo humano indignas. Quare qui ad eas declinant, quasi ab hominum habitaculis et ædibus ad haras et stabula bestiarum migrant; ut inter eas vitam ducant, uti attestatur Joel, cap. I. *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Quod imprimis verum de luxuriosis, teste S. Gregor. lib. XXIV. moral. c. VI. « Jumenta in stercore suo computrescere est carnales homines in fetore luxuriæ vitam finire. Non enim esse homines sed jumenta declarantur, de quibus per prophetam Jer. capit. IV. dicitur: *Unusquisque ad uxorem proximi sui hincibat.* » Et de quibus propheta alius Ezech. c. II. dicit: « *Ut carnes asinorum carnes eorum.* » Deinde gulæ et ebrietatis mancipiis, quod testatur S. Hieron. in eum locum: *Computrescit, inquit, in stercore, cujus Deus venter est, et qui dicit: Manducemus et bibamus, cras enim moriemur.* Quibus convenit versio Chaldaica, quæ habet: *Computruerunt dolia vini, h. e. ebriosi, quorum venter dolium est.* Neque vero solum computrescunt pecudes istæ in animo, sed etiam plerumque in corpore, luxuriosi in morbo gallico et similibus, qui libidinem consequuntur, gulosi in phlegmonibus, vomitu et sordibus suis. Bene igitur de his D. Chrysost. in psalm. XLVIII. ait: *Sicut bruta viverunt, sicut bruta pereunt.* Quod insigniter exprimitur in grege illo porcorum, quos invaserunt dæmones et mox in mare præcipitarunt, Luc. VIII. ubi etiam expendendum quam cæci sint peccatores. Multum enim dedecoris et ingens supplicium intulisse dæmonibus Christus videretur, si suo imperio in tam immunda animalia ipsos natura sua tam nobiles adegisset: et tamen hoc ipsi sponte eligunt et quidem summis precibus impetrant. Et quid aliud agunt peccatores? Certatim in vitiorum cloacas ruunt, et inter se contendunt, quis prior descendat, idque multis sæpe precibus extorquent. Pro magno supplicio et ingenti dedecore condemnavit S. Marcellum Pp. Maxentius imp. in catibulum, ut inter bestias degeret et quasi computresceret. At hoc illi sponte sua stultissime sibi eligunt. Porro luti